

PETITIO IN FAVOREM ABBATIAE DE OSTERHOVEN, INCENDIO DELETAE. — 1775.

L'abbaye d'Osterhoven en Bavière, détruite par un incendie, s'adressa en 1775 à la circarie de Brabant pour obtenir une aide pécuniaire en vue de la reconstruction. Nous ne savons cependant si le secours fut accordé.

Tongerloo.

A. ERENS, O. Praem.

Plurimum Reverende Religiosissime ac Eximie Domine Administrator, Domine Confrater perquam Venerande,

Cum Osterhoviensis Circariae nostrae Bavaricae insignis abinde ecclesia, nullo certe suo errore, sed prorsus injuria temporum, flammaram incendio martisque excessivo furore ita ad novissimam devoluta sit fortunam, ut, nisi aliunde in tempore sublevetur, certissima illius dissolutio, bonorum et foundationum invasio, atque distractio cum irreparabili jactura necessario subsequutura sit, ipsa vero presentissimum a S. Ordine nostro auxilium et pie imploret et digne praestoletur, circaria nostra tenui utique et exigua equidem succurrente, ast in illius salutem neutiquam sufficiente : Hic ad totius canoniae nimium quantum afflictæ instantiam, motu proprio lubentissime daturus, has eidem commendatitias dare literas vicaria auctoritate aequissimum duxi, quibus illam inter reliquos Reverendissimos D.D. per Germaniam Abbates, Priores et Ecclesiarum Praemonstratensium superiores vestrae non minus Eximiae Dominationi pro ferendo charitativo subsidio commendare volui, vicariam interponens fidem. Si pro S. Ordinis nostri honore et emolumento agatur saluberrimam profecto exinde navari operam, si, quod petit, auxilium eidem benevole annuatur. Prouti ergo canoniam hanc adjutorii omnino indigam, attritam et juvari meritam omnimodis favoribus, ita me quoque fraterno Eximiae Dominationis vestrae affectui perimpense commendo.

Windbergae, 9^{na} Sbris 1775.

Plurimum Reverendae ac Eximiae
Dominationis vestrae
Obsequiosissimus Confrater
Bernardus Abbas et Vic. Generalis.

Archives de l'abbaye de Tongerloo. Dossier : *Abbayes étrangères.*